



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

152. An Clerici coniugati gaudeant priuilegio fori etiam in Ciuilibus? Et  
Clericus coniugatus post dimissum habitum, & Tonsuram, si pro delicto  
aliquo in Curia laicali est citatus, & ob contumaciam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)



res ad casum, à quo non potuit incipere, obstat tamen, quòd habitus personæ circa priuilegium, solum consideratur tempore delicti commissi, illa enim post delictum non nocet: vnde is, tanquam Clericus solutus, remittitur, attento delicti tempore. Ita Pereira; cui adde Alexandrum *conf. 149. n. 9. lib. 5. & alios communiter.*

Sup hoc priuilegio fori in tom 6. tr. 7. Resol. 60. §. Confirmatur.

2. Notandum est tamen hic non esse bigamum, ita vt anntat priuilegium fori, si quis feminam prius à se cognitam ducat postea in vxorem, quicquid aliqui asserant, quia talis non potest dici ducere virginem: sed tu ne recedas à nostra sententia, quia talis viri caro non est diuisa, nec potest censerì diuisa ratione vxoris, quæ alteri fuerit permixta, nec aduersus hanc sententiam procedunt canones *curandum, & precipimus, dist. 24.* quia possunt explicari quòd per virginem intelligatur non ab alio corrupta, & ea quæ fictione iuris in eo casu reputatur; videri potest glossa in *cap. 2. de bigamis, ver. diuisis.* Et ita hanc opinionem tenet Ioan. Præpositus in *3. part. quæst. 5. de irregular. dub. 17. num. 134.* Vnde si talis sumat Ordines minores, gaudebit priuilegio fori tanquam Clericus coniugatus & non bigamus.

## RESOL. CL.

An index laicus posse cognoscere, si Clericus sit bigamus? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 71.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Pereira in *manu Regia, part. 2. cap. 24. num. 3.* vbi sic ait. Si quæstio sit super bigamia, laicus index erit competens.

2. Sed contrariam sententiam tenendam esse puto ex *cap. si index laicus, de sentent. excommunicat. in 6.* & ita tenet Alexander *conf. 149. volum. 6.* Vnde Nicolaus Harpsfeldius in *historia Anglicana, sacul. 13. cap. 9.* notat. quòd inter alios abusus, & iniustitias contra libertatem & immunitatem Ecclesiasticam, quæ tempore Eduardi Regis efficiebantur in illo Regno, vna hæc erat, quòd laici cognitionem bigamie ad se rapiabant. Ita ille. Vnde nostram sententiam aduersus iudicem laicum docet nouissimè Gabriel Lotharius in *re beneficiaria, lib. 3. quæst. 36. n. 73.* vnde non est audiendus Pereira, vir alioquin doctissimus.

## RESOL. CLII.

An Minister laicæ iurisdictionis possit exercere iurisdictionem circa Clericos coniugatos non in criminalibus sed in civilibus?

Et an Clericus negotiator, si ter non fuerit monitus non subiceat Statutis laicorum?

Et an omni negotiatio, quæ aliis Clericis prohibita est, etiam coniugatis prohibita censerì debeat? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 51. alias 50.

Sup. hoc in Ref. seq.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Couarruias *prætic. 99. cap. 3. num. 7.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 2. allegat. 12. num. 25.* Cenedo in *99. canonicis, q. 4. num. 18. & 19.* Gutierrez *prætic. 99. lib. 1. quæst. 5. num. 3.* Azuevedus *tom. 1. lib. 1. leg. 2. tit. 4. Recop.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 46. num. 22.* Megala in *3. part. lib. 3. cap. 10. num. 40. & Cortolan. in Bulla Cæne, excommun. 16. fol. mibi 94. 5.* Layman *vbi infra,* cum aliis. Probatur hoc ex *cap. unico, de Cler. coniug. in 6.* vbi solum conceditur Clericis coniugatis priuilegium Canonis, & fori, in cæteris autem minime. Et licet

textus loquatur etiam de causis civilibus, intelligendus est, quoad capturam personæ non autem si merè civiliter contra bona sine carceratione agatur; vt fuit resolutum in *Casell. Tholosana, decis. 184. & apud Guidum Papam decis. 13.*

2. Sed mihi contraria sententia videtur probabilior. Dico igitur, Clericum coniugatum, si contraxit cum virgine, & tonsuram, & habitum clericalem gesserit & alicui Ecclesiæ deseruiat, gaudere priuilegio fori, non solum in criminalibus, sed etiam in civilibus, & ante iudicem Ecclesiasticum esse conueniendum, vt patet ex *cap. 2. de foro compet. & cap. unico, de Cleric. coniug. vbi* habetur, neque ab ipsis secularibus iudicibus eos debere personaliter, vbi etiam pecunialiter nullatenus condemnari. Vbi pondera verbum illud, *nullatenus*, quod totum negat, & vniuersaliter iurisdictionem iudicis secularis excludit. Et dato, quòd hic casus esset \* dubius in iure, potius pro iurisdictione Ecclesiastica iudicandum est, quam pro iurisdictione laicali. Et ita docuit quidam regius, is est Ceuallos in *tract. de cognit. per viam violentie, part. 2. quæst. 73. num. 4.* aduersus alios Iuristas. Et ex nostris docet etiam hanc sententiam Duardus in *Bulla Cæne, lib. 2. can. 15. quæst. 4. concl. 3. num. 22.* Riccius in *suis decisionib. par. 4. decis. 320. num. 5. & collect. 308.* & nouissimè ex Iuristis Martha de Iurisdic. *p. c. centur. 2. ca. 159. num. 5.* Vide etiam Zanardum in *director. Confess. part. 1. de Sac. Matrim. cap. 23. quæst. 24.* & alij apud Ceuallos. Notandum est etiam cum nostro D. Carolo de Grassis *de effect. Cler. eff. 2. num. 118.* & aliis, Clericum negotiatorem, si ter non fuerit monitus, non subiacere statutis laicorum: & Layman notauit, quòd omnis negotiatio quæ aliis Clericis prohibita est, etiam coniugatis prohibita censerì debet. Ita ille in *Theol. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 8. num. 5.* & Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 28. num. 9.* cum aliis, quidquid in contrarium asserat Clar. *§. fin. q. 30. n. 12.*

\* Sup. hoc inf. in Ref. 207. in fine, & in Ref. 287. §. 2. post med. & in Ref. 297. 298. & 328. §. 3. ante med. &c.

Sup. hoc inf. in Ref. 266. & 267.

## RESOL. CLIII.

An Clerici coniugati gaudeant priuilegio fori etiam in civilibus?

Et Clericus coniugatus post dimissum habitum, & tonsuram si pro delicto aliquo in curia laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit, si acinde reassumpto habitu & tonsura Ecclesiæ deseruiat, an possit à iudice laico propter delictum in carcerem conijci, aut personaliter adstringi?

Et quid, si Clericus coniugatus pro crimine capiatur, incedens sine habitu, & tonsura, & deinde è carcere fugiens habitum, & tonsuram reassumat; &c. Ex part. 4. tract. 1. Ref. 78.

§. 1. **N**egatiuam sententiam tenet nouissimè Pereira *de manu Regia part. 2. cap. 26. num. 10.* & Ludouicus Correa *vel. de immunit. Eccles. part. 2. num. 33.* vbi sic ait. Clerici coniugati, quantumuis adimpleant omnes condiciones, non sunt exempti à iudicio seculari, in causis merè civilibus, nec obstat textus in *cap. unico, ibi, aut civiliter ad iudicium secularare*, vbi dicitur, quòd Clerici coniugati etiam in causis civilibus à iudicio seculari eximuntur, nam rejecta multorum scribentium resolutione in *dict. cap. unico*, respondeo verbum illud *civiliter* intelligi, ita vt Clerici huiusmodi eximantur à seculari iudicio in causis criminalibus, quamuis civiliter mortis. Ita ille, & alij, quos citat & sequitur Antonius de Ballis in *tract. var. lib. 5. tit. 10. num. 18.* Elifæus Danza in *pugna Doctorem cap. unico, de Clericis coniugatis, num. 13.* Capiblanicus



Capiblanco de officio Baronum tom. 1. pragmat. 8. part. 3. n. 52.

2. Sed ego in 1. part. tract. 2. resol. 50. merito affirmativam sententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Speculatorem in tit. de comper. iudic. addit. §. 1. num. 24. Francum in cap. unic. de coniug. in 6. Cœpollam consil. crimin. 10. Mandosium in addit. ad Lapum, allegat. 40. & 118. & Camillum Borellum in specula Principum rubr. 11. §. videamus, in princ. litt. A, quos citat & sequitur Riccius part. 3. decis. 170. num. 1. & ita hanc affirmativam sententiam novissimè, me citato, tenet etiam Paulus Squillante de privileg. Cleric. cap. 7. dist. 2. num. 27. & Anronius de Marinis quoad. resol. ca. 58. num. 2. ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat. & ex aliis iuribus, quæ ego ipse ubi supra adduxi, & hanc opinionem tenet etiam Gavantus in enchirid. Episc. ver. Clericus num. 84. quæ præsertim procedit in Regno Neapolitano, ut ipsemet testatur ex declaratione sacre Congationis 27. Februarii. 1630.

3. Notandum est etiam hic obiter, quòd sacra Cardinalium Congregatio censuit Clericum coniugatum qui post divisiùm habitum & tonsuram clericalem pro de bito aliquo in Curia laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit, si deinde reassumpto habitu & tonsura (modò non in fraudem) Ecclesiæ inferuist iuxta decretum Concilij ubi supra, non posse à iudice laico propter id delictum in carcerem conici, aut personaliter astringi, & ad hæc facit cap. si iudex laicus, de sentent. excommuni. in 6. Et licet Cabedo part. 1. decis. 58. num. 8. doceat, quòd si Clericus coniugatus pro crimine capiatur, incedens sine habitu, & tonsura, & deinde è carcere fugiens, habitum & tonsuram reassumat, & in ea iterum capiatur, non gaudet privilegio fori, in c. ex parte, de privileg. tamen hæc opinio displicet Bartholæ de potest. Episc. part. 2. allegat. 12. num. 29.

RESOL. CLIII.

An Græcos, qui post contractum matrimonium, initiatus est minoribus ordinibus, gaudeat privilegio fori? Et doceatur Clericos in Minoribus coniugatos orientales, quos Græcos appellamus, gaudere privilegio Canonis, & fori, etiam si Ecclesia non deseruiant Ex part. 5. tract. 1. Resol. 26.

§. 1. **C**Asus hic ardentè his diebus fuit inter viros doctos agitur, & videtur prima facie negatiue respondendum, ex c. cum olim, de Cler. coniug. in illis verbis, iuxta ritum Græcorum uxorem duxerit, in minoribus Ordinibus constitutus, & paulò infra. Quoniam Orientales in minoribus contrahunt, & idèd gloss. in c. quæsum, de pen. & remis, sic ait. Presbyteri Græci, qui utuntur matrimonio in minoribus Ordinibus contracto, &c. vnde Ioan. Honorius in comp. iur. Can. lib. 3. tit. 2. num. 6 ita asserit, In Orientali Ecclesia Clerici in minoribus constituti, contrahunt matrimonia, & in superioribus Ordinibus utuntur matrimonio contracto. Hec ille, cui addè Belletum in disquis. p. 1. tit. de discipl. Cler. §. 9. n. 4. & tandem in terminis Veneris in exam. Episc. lib. 3. c. 32. n. 3. ita ait. Quid prius Clerici Græci sumunt, Ordines, an uxores? Respondeo, prius quatuor Ordines, & post uxores. Sed in casu de quo loquimur, reus prius contraxit matrimonium, & postea Ordines minores accepit, ergo. Confirmatur hæc ratio autoritate Marcelli Vulpe in praxi, cap. 40. num. 10. asserentis, quòd laicus post contractum matrimonium cum virgine, & virgine non potest initiari prima Tonsura, &

Tom. 1. X.

effici Clericus coniugatus, ut gaudeat privilegio fori. At hoc accidit in casu nostro: ergo, &c.

2. Verùm ego affirmativæ sententiæ adhaerendum esse puto, pro qua firmada dico cum Azorio part. 1. lib. 5. cap. 11. q. 7. & Baldello in Theol. mor. lib. 5. dist. 41. n. 2. quòd post separationem Ecclesiæ Orientalis ab Occidentali, & post translatum Imperium à Græcis ad Germanos sub Leone III. communiter Clerici Orientales, & Græci non tenentur legibus Pontificiis, quæ de nouo emanant pro Ecclesiasticis quia intentio Pontificis non se extendit ad illos, ut manifestè colligitur. Nam cum in pluribus discrepent à Latinis, nullus tamen ex Pontificibus eos reprehendit, & damnat, etiam quando sunt inter Latinos. Ex quibus Azorius, & Baldellus obseruant dictos Græcos etiam coniugatos, posse promoueri ad Ordines, ergo etiam ad minores, cum loquantur absolute, & sine vlla distinctione. Nec assignari potest ratio quare sit licitum Græcis initiari post coniugium factis Ordinibus, & non minoribus: ut perperam voluit Venerus, & infra magis patebit. Vnde Squillante de privileg. Cleric. cap. 8. num. 11. & Quaranta in summa Bull. verb. Græcorum ritus, in principio sic asserunt: Sacerdotes Græci utuntur legitimo matrimonio contracto in laicali habitu, vel dum erant in minoribus: ergo Græci possunt Ordines minores suscipere, non solum ante, sed etiam post matrimonium contractum; alioquin non dixisset Quaranta, & Squillante, quòd possunt uti matrimonio in habitu laicali contracto. Quod manifestè etiam probatur, quia minorem incompatibilitatem habent Ordines minores cum coniugio, quam Ordines facti, cum istis, ut patet, annexum sit castitatis votum, ergo si Græci post coniugium possunt sacros Ordines suscipere, ut docet Vasquez in 3. part. tom. 3. dist. 248. num. 2. Faustus Theol. lib. 7. quest. 9. & alij communiter; à fortiori dicendum est minoribus etiam initiari posse, cui enim conceditur maius, & minus concedi videtur ex l. filius, §. fin. ff. de donat. l. Marcellus, ff. de dosar. caus. mort. l. non debet, ff. de reg. iur. & ex cap. ex parte, de decimis; vnde cui licet quòd est plus, licet etiam quòd est minus, ex cap. licet, de regul. iur. in 6. Et ideo Doctores, qui absolute docuerunt Græcos post coniugium posse ascendere ad sacros non limitant suam sententiam, nisi Ordines minores fuerint ab ipsis assumpti ante initium matrimonium; nec vlla ratio apparet quare talis limitatio apponenda foret, esset enim limitatio ridicula, & impertinens, nam assumptio Ordinum minorum ante coniugium, nullam ei tollit deformitatem, quoad suscipiendos Ordines sacros, ut patet: & probatur in Clericis coniugatis Latinis qui non obstante quòd sumperint Ordines minores ante coniugium, non possunt tamen ad Sacros ascendere; quia vsus matrimonij etiam post minores Ordines suscepti est indecè cum sacris Ordinibus, & ideo à iure Latinis prohibitus: qui quidem cum Græcis licitus sit, & permittitur, sequitur sacros Ordines ipsos posse suscipere, non solum si minores Ordines ante matrimonium sumperint, sed etiam postea. Quod aperte confirmatur ex praxi, ut testantur fides subliteræ ab eorum Archipresbyteris, in quibus apparet Græcos initiari minoribus Ordinibus & ante, & post susceptum matrimonium. Sed vsus est optimus interpretis privilegiorum, ut notat Salas loquens in quodam casu de Clericis Græcis dist. 14. sect. 5. n. 64. & patet ex cap. cum dilectus, de const. l. minim. ff. de legibus, & l. si de interpretatione, eodem tit. ergo, &c. Dicendum est igitur reum, de quo loquimur, non esse privilegio fori priuandum. Et ideo Paulus Squillante de priuileg. Cleric. cap. 6. num. 20. loquens

P indiuidua

Sup. hoc in tom. 3. tr. 4. Resol. 86. §. Nec obstat dicere, ad mediū, verū. Quod confirmatur, & in aliis eius not.